



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE I. APRILIS.

M

Adritti, a. d. 16. Febr.

Tametsi Bournouillium ducem, quem rex legatum in Galliam mittere constituerat, propterea quod alius praefectus est legationi, ex aula excessurum plane existimaueramus; nihil tamen eorum, quae ipse Bedmario, aliisque aulae proceribus iactauerat, nunc factum animaduertimus. Non defuerunt quidem, qui in eam adducere illum, studebant sententiam, ut relicta aula, in villam quandam discederet, seque subduceret hominum aulicorum inuidiae, id quod is etiam se facturum, promiserat; at enim ex quo tempore rex illum ad se vocauit, & remotis arbitris cum eo colloquutus est, rem aliter, atque opinati fueramus, cecidisse iam conspicimus. Bournouillius enim, non

tantummodo in aula, ut ante, versatur, sed etiam litteras a rege accepit, quibus Castellaro, *marcbioni*, praecipit, ut Bournouillio protinus ex aulario regio refunderet sumtus, quos is, in Galliam abiturus, rebus ad iter necessariis impenderat. Fama est, Popolum ducem, haud amplius tantum valere apud regem gratia & auctoritate, quantum olim eum valuisse constat. Asturiae principis vxor, magnam praese fert animo aegritudinem, & lacrimas quotidie vberius profundit. Quem eius dolorem sua leuare Asturiae princeps praesentia adnititur, & nunquam fere ab eius discedit latere. Heri rex sumtis epulis, per horae spatium ei adsedit, cuius illa sermonibus haud parum fuit recreata. Superioribus diebus Gallorum legatus, qui Genuae viuit, quendam e sua familia in hanc urbem misit, qui sibi domicilium conduceret, & aliquot

quot legeret pedisequos, quorum ille ministerio, cum huc venerit, vti possit. Si quid famæ, quæ de eius adventu in vulgus emanavit, libet credere, Italorum ille causâ huc veniet, prius tamen in Galliam abibit ut rerum a se gestarum rationem regi exponat. Dux S. Simonius tantisper nobiscum erit, dum nuptiarum Solemnia, Lutetiæ Parisiorum peracta fuerint. Interea splendor & magnificentia, qua vbiuis locorum ille se iactat, omnium oculos in se conuertit, neque facile præterire dies solet sine coniuiali lætitia, cuius plerique ex aula proceres participes fiunt. Hæsterna die, magni Etruriæ ducis legatus, cui magnus apud nos habetur honos, colloqui causa ad regem euocatus erat. Gemmæ, quibus regina principem Asturiæ, nulum suam, donauit, sexaginta millibus numerorum, quos florenos dicimus, æstimantur. Exterorum principum legati, inter quos Britannus atque Gallus eminent, sæpius regem adire, & de præsentis rerum statu consilia conferre solent. Cum nuper Galli quidam, merces nauibus aduectas exponere voluissent in terras, quæ regis nostri parent imperio, atque id eis quædam nostrarum nauium prohibuissent, ac naues Gallorum a littoribus submouissent, ad dimicationem pugnamque res peruenit, in qua aliquot vtrinque homines occisi fuerunt. Nudius tertius, vespere facta, ignes ludicri ante palatium regium fuere succensi, quo simul tempore, omnes tota vrbe vici, festiuis eiusmodi ignibus egregie collucebant.

Lutetia Parisiorum, a. d. 2. Martii.
In sanctiore concilio decretum nuper est, ut *Cardinales* in senatu, cui regni administratio demandata est, *cancellarium*, duces & Galliæ primores, quos *Pares* vocamus, honore præcederent. Au-

spiciis regis & ducis Aurelianensis, propediem edentur tabulæ, e quibus cognoscere licebit, quid cuique militum duci stipendii decretum fuerit. Litteræ, quibus Noallius *Cardinalis*, idemque vrbs huius Archiepiscopus, indulgentiarum solemnia indixit, typis exscriptæ, & palam editæ sunt. Cancellarius, duces & *Marescalli*, ut dicuntur, Franciæ, qui propterea, quod Rohanius & Boisius in senatu regni ipsis prælati fuerant, haud amplius interesse voluerunt concilio, per Antinium monuerant Aurelianensem, ut, si eos in senatu præsentem conspiceret deinceps vellet, litteras regio sigillo munitas mitteret, his enim non facile quenquam refragari ausurum. At enim vero peropportuna se nactum iam esse animaduertit occasionem Aurelianensis, qua homines eiusmodi refractarios concilio excluderet, magnamque pecuniæ vim, regio reseruaret ærario, quandoquidem singulis vicena quotannis librarum gallicarum millia numerabantur. Nudius itaque tertius, hora post meridiem tertia, Aurelianensis Vrillierium *marbionem* misit, qui nomine regis sigilla a Cancellario reposceret. Quæ cum ille haud inuitus tradidisset Vrillierio, is ad Aurelianensem ea adtulit, qui Armenonuillium statim illi muneri admouit. Armenonuillius paullo post solemnem iurifurandi formulam fidem suam regi pollicitus est. Quo facto, dux Aurelianensis carpento vectus, ad regem, qui tunc in insulam, ut vocant, Bononiensem venatum egressus fuerat, se contulit, & quid rerum absente eo, acciderat, longa oratione illi exposuit. Interea Cancellarius a suo deiectus munere, sponte in villam quandam concessit, quatuor autem *marescalli*, Lutetiam Parisiorum relinquere, & in ea, quæ possident prædia

abire

abire iussi sunt. Heri autem, cum Arminonuillius, nouus sigillorum custos, in patrum adductus esset concilium nullus ducum & marescallorum, conspiciebatur. Eodem die Aurelianensis, adsumpto duce Carnutensi, filio suo, obuiam processit reginæ ad villam vsque Berniam. Hodie, simul ac mensa fuerit remota, rex Burgum abibit, & sponsam inde suam adducet, vt autem omnia quam splendidissima reginæ, per urbem procedenti, appareant, cunctis vicorum incolis, per quos transeundum erit nouæ nuptæ, a rege præceptum est, vt peristromatibus domorum parietes, qua plateas spectant, quam maxima fieri poterit, diligentia, exornent. Vesperis omnes ædium fenestræ ignibus festiuis collustrabuntur. Inscriptionum atque emblematum, quibus arcus triumphales conspicui sunt, auctor est Montaurius, reginæ scientiarum Academiae adscriptus, quæ prælo iam subiectæ, ad posteritatis memoriam propagabuntur.

Alia indidem, a. d. 9. Martii. Rex Christianissimus, posteaquam sponsam suam adduxisset, testandæ lætitiæ causa, plus minus quadringentos homines e carceribus, in quibus partim æris alieni causa, partim ob facinora varia detinebantur, dimittendos curauit, editis insuper mandatis, vt omnes, qui ad triremes in quatuor annos damnati fuerant, libertati suæ restituerentur.

Londini, a. d. 6. Martii. Ante hos tres dies, nobilissimi duo adolescentes Scotici, Dunbarus, atque Rossius, digladiati sunt inter se, quorum hic grauissimo adfectus est vulnere. Rex magnæ Britannia, edita lege, cauit, ne quisquam largitionibus se corrumpi patiatur ab his, qui populi suffragia captant, atque hac ratione procerum curiæ numero adscribi cupiunt, secus

facturis mille librarum sterlingicarum multa irrogabitur.

Alia, a. d. 13. Martii. Grafftonius comes, idemque Prorex Hiberniæ, hesternæ die, ex Hibernia redux factus, ad regem accessit, ab eoque blande admodum fuit acceptus. Superiori die Saturni, eques Robertus Dauersius, in prædones incidit, qui cum ei pecuniam, cuius vim maximam secum vehabat, omnem ademissent, his vsi sunt verbis: *fidem nos hoc facto regi Georgio declaramus nostram, veremur enim ne pecunia hac corrumpantur illi, penes quos potestas est eligendi eos, qui proximis comitiis Patrum curiæ numero adscribi debent, neue tales eligantur, qui regis commodis aduersari solent.*

Hagæ Comitum, a. d. 8. Martii. Summi Frisiæ occidentalis ordines, 11. mensis præsentis die, solemnes in hac vrbe consultationes instituent. Nocte quæ tertiam huius mensis diem præcessit, Boddanus, vicarius classis præfectus, hic apud nos mortuus est, cuius corpus hinc asportatum Amstelodami sepelietur.

Alia, a. d. 13. Martii. Philippus Hispaniarum rex, quam plurimos hic conscribi curat milites. Cum autem nuper, qui nomina sua dederant, in Hispaniam deuehi debuissent, quadraginta ex eorum numero, antequam navi fuissent impositi, clam se subdixerunt. Neque vero delectus tantum habent apud nos Hispani, sed & tignorum ædificandis nauibus inseruientium, copiam, quantam possunt maximam, cœmunt. Quo id fiat fine, perspicere nondum adhuc possumus.

Cameraci, a. d. 10. Martii. Legati principum, qui iam adsunt, crebro se inuicem conuenire solent. Nudius abhinc tertius comes Contestius regis Gallia legatus primarius, Parisiis huc accessit.

accessit; comes autem Moruilleus, qui ei collega datus est, Lutetiam hinc profectus est, vt in senatum regni receptus, solemnibus iurisiurandi formula fidem suam regi obstringat; quod simul ac fecerit, ad nos iterum rediturus dicitur. Quod ad Mortagneum comitem, qui hic in custodia detinetur, adtinet, breui regem Galliae, quid de eo statuerit, huc perscripturum aiunt.

Hafnia, a. d. 10. Martii. Proxime praeterlapsa Mercurii die, summus in regno senatus erat, cui & ipse rex cum principe interfuit hereditario.

Ex Holsatia a. d. 13. Martii. Ex Suecia accepimus, publica regni comitia proximo mense Aprili coactum iri, tum enim & Russorum Imperatoris legatum adfuturum esse credunt. Ex Moscouia vero nuntiatur, Imperatorem Russorum, totum in eo esse, vt rebus patriae vndiquaque consulat.

Dresda, a. d. 13. Martii. Quotidie fere currus aliquot sarcinis variis onusti, Varfauiam dimittuntur, quorsum ipse Rex Augustus ante ferias Paschales se conferet. Qui in comitiis hic sunt congregati, de eo ante omnia sunt solliciti, quomodo patriae sumptibus exhaustae, succurri queat.

Lipsia, a. d. 16. Martii. E litteris, Moscoua allatis, intelleximus, quemadmodum festiuis tumultibus in ea vrbe adhuc perstreperint omnia, & nullus fere dies sine nouis laetitiae signis transmissus sit. In insula, quam Czariizam vocant, Iani templum festiuis ignibus illustratum, & circum circa ornatum pyramidibus conspiciebatur. Bolides autem ardentes ignesque volatiles iucundissimum omnibus praebere spectaculum. Imperatorem Russorum, per paucis adsumtis aulae proceribus, Oloniczium profectum esse, vnde tamen futuro mense Aprili, reducem fore arbitrantur. Holsatiae ducem ab Impera-

toe Russorum dignitate equestri, quae a diuo Andrea nomen accepit, ornatum esse ferunt, eumque Moscouae comoraturum, dum Oloniczio redierit Imperator.

Berolini, a. d. 7. Martii. Hac hebdomade duo ad regem venerunt Regiomonto nuntii, a Dhona comite, qui Prussiae praetor est, missi, quorum alter Wusterhusii, alter in hac vrbe regem inuenit. Postquam rex, quas illi adtulerant, litteras legisset, sanctius illico indixit concilium, eosdemque cursores, litteris instructos, Regiomontum remisit. Fama est, regem, vere ineunte Prussiae abiturum, lustratorumque copias, quae iam circa Regiomontum & Memeliam congregantur.

Vienna, a. d. 25. Martii. Hesternaque die aliquot centeni equi huc sunt adducti, quos militibus cataphractis, Palffianae atque Hannoueranae legionis, distributum iri aiunt.

Posonii, a. d. 1. April. Illustrissimus & Excellentiss. comes Alexander Erdodius, quem nuper ad Illustrissimum atque Excellentissimum Comitum Koharium, Excelsae Regiaeque Commissionis praesidem, missum commemorabamus, non religionis sed suorum tantum negotiorum procurandorum causa in hanc vrben venisse dicitur. Superiori die veneris comes Seckendorffius, summi castrorum praefecti legatus, idemque Arcis Pleissenburgae, quae Lipsiae est in Saxonia, praefectus, Vienna huc accesserat sed relicta iterum vrbe nostra, die Lunae Sempronium profectus est. Tempestas, quae superioribus diebus apud nos obtinuerat placidior ac praeter morem calidior, subito commutata est. Enimvero post serenos dies aëremque calidiorem, de quo nuper scripsimus, non solum pluuiae crebriores, grandine leuiori mixtae, sunt effusae, sed gelu etiam nudius tertius, heri ac hodie terram astrinxit.